

pio hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. »

Porro meditatio hæc debet esse practica, et ad opus dirigi, adeoque rerum spiritualium magistri tradunt optimas esse meditationes, quæ ad actiones particulares, imo singulares, descendunt; v. g. dum quis meditur de patientia, ut meditatio meditati sit fructuosa, in ea concepiat firmetque propositum libenter et forliter patiendi, non in genere duntaxat, sed hic et tunc, dicendo: Meam febrim, meos socios molestos, meas irrisiones, scommata, dicticia talia in me jaci solita, et hodie jacienda, amore Dei generose et hilariter sustinebo, ut conformem me Christo in cruce eadem et plura patienti. Atque talis meditatio imprimit voluntati studium similium operum; intellectum vero aperit et illuminat, juxta illud *Psal. LXXVII, 72*: « In intellectibus manuum suarum deduxit eos, » puta intelligentia, quam opus manuum eis pepererat. Unde S. Hieronymus, Aquila et Chaldæus vertunt, *in prudentia manuum*, id est actionum, ait Euthymius, *deduxit eos*.

ET IPSE DABIT TIBI COR (id est, mentem cordatam, constantem, sapientem et prudentem); ET CONCUSPISCENTIA (non carnis et mundi, sed) SAPIENTIE DABITUR TIBI, — puta sapientia, quam concupiscis, sive sapientia concupita. Est hypallage. Ita Syrus et Tigurina. Vel simpliciter, *q. d.* Initio horrebas sapientiam quasi asperam; at ubi cœperis sapientiam, deumque pro ea invocare, Deus horrorem et tedium convertet in concupiscentiam et aviditatem, ut eam ardentem desideres et concupiscas quasi rem honestam, pulchram, suavem, celestem et divinam; qui enim in lege habet intellectum, ait Palacius, quo magis habet, eo magis habere desiderat, adeo est sapientia dulcis. Sic et Rabanus. Græca: *Ipse firmavit cor tuum in studio et sequela sapientia, et concupiscentia sapientia dabitur tibi*; Syrus: *Ipse firmabit vias tuas, et de eo,*

quod desideraveris, docebit te; Tigurina: *Ipse optatum confirmabit, et quam desideras, sapientia tibi dabitur*. Hinc liquet cor hic sumi pro firmitate et constantia cordis in studio sapientie, et concupiscentiam sapientia vocari sapientiam concupitam, *q. d.* Deus dabit constantiam animi in prosequenda sapientia, ex qua fiet ut eandem adeo concupitam tandem ediscas et assequaris. Alqui concupiscentiam hic accipiunt ipsius sapientia, non hominis eam concupiscentis, *q. d.* Dabitur tibi omne bonum; quod ardentem secum tibi imperitari cupit ipsa sapientia. Ipsa enim concupiscit se suaque omnia suis philomusis elargiri.

Sic Verbum æternum, quod est Sapientia Patris, ardentem concupivit se hominibus communicare, ideoque carnem nostram induit; unde et ait: « Deliciae meæ esse cum filiis hominum, » *Proverb. viii, 31*. Concupiscentia ergo sapientia longe major est, quam sit nostra: est enim concupiscentia Spiritus Sancti, de quo ait Apostolus: « Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, » *Roman. viii*. Simili modo viri nonnulli eruditi et pii orant: « Domine, da mihi hoc quod pro me optat postulatque a te sanctissima Virgo Maria; » ipsa enim majora optat, quam nos optare possimus. Simili phrasi ait Osee cap. x, 12: « Melite in ore (Hebr. *ad os*) misericordiae, » *q. d.* Melite ad votum et concupiscentiam misericordiae, quantum, scilicet, ipsa ore suo desiderat et flagitat. Verum ex dictis liquet priorem sensum esse genuinum.

Est hæc *seata* dispositio et via ad sapientiam, nimirum Dei gratia, ideoque per orationem ab eo efflagianda, ut dicamus cum Psalte *Psal. cxviii, 48*: « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » Hoc est quod a Davide patre didicit et docuit Salomon, *Proverb. iii, 5*: « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentia tua. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. » Ita Rabanus.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, docet cavendam peccati culpam, ut viles ejus pœnam; secundo, vers. 4, docet ambiendum non esse magistratum; tertio, vers. 13, agit de moderatione linguæ; quarto, vers. 15, docet quomodo homo se gerere debeat erga seipsum; erga amicos, vers. 20; erga uxorem, vers. 21; erga servos, vers. 22; erga pecora, vers. 24; erga filios et filias, vers. 25; erga parentes, vers. 39; erga sacerdotes, vers. 31; erga mortuos et ægros, vers. 37. Denique, vers. 40, ad hæc omnia rite præstanda medium efficax assignat, scilicet, memoriam novissimorum.

1. Noli facere mala, et non te apprehendent. 2. Discede ab iniquo, et deficient a te mala. 3. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septupla. 4. Noli querere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. 5. Non te justifies

Deum, quoniam agnitor cordis ipse est; et penes regem noli velle videre sapiens. 6. Noli querere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas aciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. 7. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum. 8. Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo. 10. Exarare et facere eleemosynam ne despicias. 11. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. 12. Non irrideas hominem in amartudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat, circumspector Deus. 13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum; neque in amicum similiter facias. 14. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. 15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua. 16. Non oderis laboriosa opera et rusticationem creatam ab Altissimo. 17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit. 19. Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. 20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem: neque fratrem charissimum auro spreveris. 21. Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundia illius super aurum. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. 24. Pecora tibi sunt? attende illis: et si sunt utilia, perseverent apud te. 25. Filii tibi sunt? erudi illos et curva illos pueritia illorum. 26. Filia tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. 27. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. 28. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam, et odibili non credas te. 29. In toto corde tuo honora patrem tuum, et gemitum matris tuæ ne obliviscaris. 30. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi. 31. In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. 32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas. 33. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis: et de negligentia tua purga te cum paucis. 35. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia Sanctorum. 36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam. 38. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. 39. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE FUGIENDO PECCATO.

1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT. — « Mala, » scilicet, uti addunt Græca Complut., licet Romana legant in singulari: et non apprehendet te manus. Ledit metonymice in voce mala; prius enim accipit mala culpæ, puta peccata; posterius mala pœnæ, quæ ex malis culpæ quasi effectus et proles nascuntur; *q. d.* Vis evadere mala pœnæ? noli facere mala culpæ. Sic dicimus furi: vis evadere furcam? evita furtum. Et: « Si non essent peccata, non essent fla-

gella. » Syrus: *Ne facias quod malum est, et non inveniet te malum*; Vatablus: *Ne quid mali facias, ne tibi malum accidat*; alii: *Ne facito mala, et malum te non comprehendet*. Malum enim, sive malitia, suum habet regnum et imperium in omnes qui mala faciunt, in quos proinde sua mala poenae et flagella, velut suos lictores et tortores immitit. Malum enim est adeo aculeatum et noxium, ut, si illud tangas, illico ab eodem comprehendaris et affligaris; perinde ut qui tangunt vel calcant cuspides acicularum vel clavorum, illico iis exsiliantibus laeduntur. Talis acicularum cuspis est malum et peccatum. Hoc est quod ait Comicus:

Noxa caput sequitur.

Et:

Raro antecedentem scelestum
Desevit pede poena claudo.

Peccatum ergo est quasi pix, gluten, cardui et spinæ: quas si tangas, illico ab iis comprehendaris, pungeris et inquinaris. Unde illud: « Qui tangit picem, inquinatur ab ea. »

« Mala » accipe, tum presentis vitæ, qualia sunt pauperies, morbi, persecutiones, infamia, mors, etc.; tum futuræ in gehenna: sæpe enim Deus peccatores non punit in hac vita, ut acrius puniat in futura, ubi « fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit, » ait B. Petrus Damianus *ad Blancam*, cap. XII. Causam dat S. Augustinus epist. 49 *ad Deogratias*: « Voluntas, inquit, punitur, quæ æternam voluit habere peccati fruitionem; et ideo æternam invenit vindictæ severitatem. » Vide S. Gregorium IX *Moral.* cap. XXXIX, ad illa *Job.* cap. x: « Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. »

2. DISCEDE AB INIQUO, ET DEFICIENT MALA ABS TE. — Est hic duplex sensus. Prior, *q. d.* Discede ab homine iniquo, et discedes ab iniquitate et malitia, quia iniqui socios inducunt ad suas iniquitates. Ita Arabicus: *Ne commiscearis*, inquit *iniquo*; *elongare ab eo, elongabitur a te*. Dat modum cavendi peccata, nimirum cavendo malam societatem, malosque socios; his enim nihil est perniciosius. Unde S. Augustinus, a sociis seductus ad furandum poma, exclamat lib. III *Confession.* cap. IX: « O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis, etc., cum dicitur: *Eamus, faciamus; et pudet non esse impudentem!* » Mali enim socii sunt instar scorpium, qui, teste Plinio, lib. XI, cap. XXV, venenum instar lactis effundit; nam instar lactis intima pervadit, et veneno inficit, itaque perimit. Sic enim socii suis blanditiis penetrant cor hominis, illudque suis pravis consiliis inquinant et occidunt. Hinc et qui venenum inimicis propinant, illud lacti vel vino indunt, tum ut scelus tegant, tum ut venenum intima cum lacte pervadat, ac cor detat et perimat. Simile faciunt mali socii, dum suas nequitiis blanditiis inferunt, ut suavius animam totam pervadant et perdant.

Posterior, *q. d.* Discede a re iniqua, puta a culpa sive peccato; et mala poenae pariter discedent abs te. Posteriori sensui favet Syrus: *Absecede a malo, et elongabit a te*; quasi idem dicat, quod dixit vers. 1, sed aliis verbis. Priori favet Græca: *Recede ab injusto, ut te declinet peccatum*. Peccatum enim, licet metonymice significet poenam peccato debitam, tamen proprie peccati culpam denotat. Porro Complut. legunt *iniquitas*, id est peccatum, licet Romana: idipsum delectant; sic enim habent: *Discede ab iniquo, et declinabit a te*. Ubi *iniquo* tam masculine de homine iniquo, quam neutre de re iniqua accipi potest. Si de homine accipias, sensus erit, *q. d.* Discede ab homine iniquo, et is pariter ac cum eo iniquitas discedet a te; si de re accipias, sensus erit, *q. d.* Discede a re iniqua, puta ab iniquitate, et illa pariter discedet a te, ut te non tangat, nec sua culpa, nec sua poena. Sicque lectio Græca, æque ac Syra, favebit sensui posteriori, qui magis respondet versui præcedenti et sequenti; sequitur enim:

3. FILII, NON SEMINES MALA IN SULCIS INJUSTITIE ET NON METES EA IN SEPTUPLUM. — Græce: *Non semines semina mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea septupla*; Syrus: *Ne semines super cultura peccati, ne septuplum metas illud*; Vatablus: *Fili, ne committas semen sulcis injustitiæ, ne septies tanto amplius inde messem facias. Seminare in sulcis injustitiæ, est seminare in agro sulcato et arato injustitiæ, puta, est seminare semen injustitiæ; in agro enim injustitiæ non seritur nisi semen injustitiæ. Ager noster est cor nostrum, mens nostra voluntas nostra; in ea ducimus sulcos justitiæ, vel injustitiæ, cum illi imprimimus habitus et inclinationes bonas, vel malas; in quibus seminamus, dum cogitationes, volitiones, intentiones, desideria proposita bona vel mala, iis injicimus. Sensus ergo est, *q. d.* Noli agro, id est, cordi tuo indere sulcos injustitiæ, id est, inclinationes ad injustitiam; nec in iis seminare semina injustitiæ, puta cogitationes et molitiones pravas. Alludit ad *Osee* x, vers. 11: « Ephraim vitula docta diligere trituram, etc. Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminare vobis in justitia et metite in ore misericordiae, innovate vobis novale, etc. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » Vide quæ de hac re ibidem fuse dixi.*

ET NON METES EA IN SEPTUPLUM. — Alludit ad illud de parricidio Cain: « Septuplum ultio dabitur de Cain, » *Genes* IV, 24; ubi Septuaginta vertunt, *septem vindictas exsolvet*; Aquila, *septemplexiter*. Ubi Procopius: « Septenarius, inquit, perfectionem poenæ denotat, » juxta illud *Psal.* LXXVIII, 12: « Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum; » et *Psal.* XXX, 24: « Retribuet abundanter facientibus superbiam; » et *Levit.* XXVI, 28: « Corripiam vos septem, » id est multis, « plagis » et *Job.* LXXXV, 19: « In sex tribulationibus liberaoite, et in septima, » id est, summa et acerrima, « non tanget te malum. »

Jam dupliciter, puta de duplici messe, hic locus accipi potest: primo, de messe culpæ, *q. d.* Una injustitia parit alias septem, instar hydræ: adeo enim fecunda est malitia, ut instar lolii se prosequat, et ex una septem, id est multæ aliæ, pululent; secundo, de messe poenæ, *q. d.* Non punieris acerrime. Nam una injustitia septem, id est, multis et copiosis poenis punitur, non quod gravius puniatur, quam mereatur (Deus enim punit citra condignum), sed quod ejus malitia sit tanta, ut una poena illi ex æquo satisfieri nequeat; peccatum enim mortale, etiam unicum, ex eo quod Deum offendit, et est crimen læsæ majestatis divinæ, adeo grave est et enorme, ut nullis hujus vitæ poenis æquari possit, sed mereatur omnia tormenta, et incendia gehennæ, eaque æterna. Omnis ergo culpa septuplam poenam habet, tum quia in hoc sæculo multis poenis a Deo castigatur; tum quia in futuro universitatem omnium poenarum sustinere cogitur. Poena enim inferni, vel unica, omnium hujus vitæ poenarum vicem habet; sicut una gloriæ æternæ felicitas omnium hujus vitæ delectationum vicem habet, perinde ac manna omnem continebat saporem, et omnem saporis suavitatem.

Hic sensus prior est potior et germanior, tum quia messis culpæ est poenarum copia; tum quia de messe poenarum sermo præcessit; tum quia alludit ad septuplam poenam Caini, et ad illud *Osee* x, 4: « Germinavit quasi amaritudo judicium super sulcos agri; » amaritudo enim judicium est amaritudo supplicii, quam germinant pravi sulci in agro injustitiæ. Minutius Hugo septem peccati plagas ita sigillatim numerat: Peccati, ait, poenæ sunt tres in anima, scilicet dolor, ira et obtenebratio; in corpore vero sunt quatuor, scilicet, a quatuor elementis: impios enim punit terra in die judicii, eos absorbendo; aqua, congelando; aer, sive ventus, de poena in poenam impellendo; ignis, comburendo. Peccatum ergo est hydra septiceps: gerit enim septem capitulum culparum capitalium, tum poenarum, ut jam dixi. Hydram enim finxerunt Poetæ esse serpentem multorum capitum in Lerna palude, quarum aliquot excisis, totidem continuo renascebantur; quare ab Hercule sagittis et igne perempta et combusta est. Fabula inde nata, quod

anguium genus, sub quo hydra continetur, sit fecundissimum, et nisi incendiis semina exurentur, non esset fecunditati eorum resistere, ait Sipontinus ex Plinio, lib. XXIX, cap. IV. Ita peccati mira est fecunditas; ex uno enim fit lapsus in aliud et aliud sine fine, nisi igne acris censurae, castigationis, et amoris Dei radicitus succendatur.

Porro septuplum hoc poenæ non est septuplum respectu malitiæ et demeriti culpæ, ejus enim respectu est simplum et minus quam simplum, uti jam ostendi; sed respectu delectationis, quam percipit peccator in peccando: hæc enim delectatio brevis est et exigua; poenæ vero eam sequentes sunt septuplices, id est, multiplices. Vere *Job* cap. XX, 5: « Laus (id est, jubilum, cantus, exultatio) impiorum brevis, et gaudium hypocritæ adinstar puncti. » Punctum hoc tam lineæ, quam temporis, puta momentum, accipi potest. S. Gregorius ibidem accipit de puncto lineæ: « In puncto, ait, stylus mox ut ponitur, levatur; nec mora ulla agitur ut per exprimendam lineam trahatur; sic hypocrita presentis vitæ gaudia, cum tangit, amittit. » Tangit ergo ea, sicut globus vel sphaera terram tangit in puncto. Rursum, ut ait S. Bonaventura, sicut punctum, utpote indivisibile, nullam habet longitudinem, nec latitudinem, nec altitudinem, nec profunditatem: sic voluptas et gloria impiorum non habet longitudinem, quia brevi tempore, et quasi momento tantum durat; nec latitudinem, quia arcta est et modica; nec altitudinem, quia non celestis est, sed terrena et vilis; nec profunditatem, quia cordis ima non penetrat, nec satiat. Ex adverso poena hypocritæ est longissima, quia æterna; latissima, quia omnes sensus, membra, potentias animæ et corporis occupat; altissima, quia privat eum Deo, cælo, felicitate æterna; profundissima, quia intima animæ cruciat, eamque detrudit in profundissimum locum inferni. Unde Septuaginta vertunt: *Latitia impiorum, ruina insignis; et gaudium iniquorum est perditio*. In quæ verba apposite S. Chrysostomus: « Si eorum lætitia, inquit, ingens est ruina, et gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum interitum? Dic: amabo te, quid dolorem, quid animi ægritudinem? »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE NON AMBIENDO MAGISTRATU.

4. NOLI QUERERE A DOMINO (ita Græca, Romana et Syrus; perperam ergo aliqui legunt, *ab homine*) DUCATUM (id est, principatum; princeps enim est dux populi, quia eum ducere et regere tenetur), NEQUE A REGE CATHEDRAM HONORIS, — id est, honori-

ficam, qualis est Episcopi, doctoris, judicis, principis, sicut petierunt filii Zebedæi a Christo sedere ad dextram et sinistram ipsius in regno suo, *Matth.* XX. Syrus: *Ne quæras a Deo principatum, et a rege donum honorificum*; Vatablus: *Principa-*

tum a Domino ne petas, nec a rege sedem magnificam. Ratio est, *prima*, quia hæc petere est vitium ambitionis et fastus; *secunda*, quia qui hæc ambiunt, subjacent multorum invidiæ, detractio et calumniis: unde ab iis deiciuntur, imo in magnas calamitates conjiciuntur; *tertia*, quia ubi est honor ibi est et onus, v. g. in episcopatu est onus et cura animarum sibi subditarum, de quibus exactam rationem ab Episcopo reposcet Deus Igitur monet ne ambiamus principatum, sive sæcularem, sive ecclesiasticum, præsertim Episcopatum, cui annexa est cathedra docendi. Unde ab eodem ambitu fideles deterrens S. Jacobus cap. iii, 1: « Nolite, inquit, plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis; in multis enim offendimus omnes. » Vide ibi dicta, et I *Timoth.* cap. iii, 1. Verissimum est illud S. Bernardi, lib. III *De Consid.*: « Ambitio ambientium est crux. » Artemidorus in *Onirocrit.* lib. II, cap. xxxi, somnium regnandi ait portendere mortem ægro, sano vero cognatorum amissionem: « Regnare sibi videri, inquit, ægrotanti mortem prædicat; sanis autem cognatorum et sodalium omnium amissionem et separationem portendit: est enim insociabile regnum. » Somnium hoc somnium dicas; subinde tamen ita fit. Joseph enim somnians se principem, et fratrum gratiam, ac libertatem, et pene vitam amisit, *Genes.* xxxvii, et seq. Illustre exemplum hujus rei S. Cyprianus lib. IV, epist. 3 ad *Antonium*, statuit S. Cornelium Pontificem et Martyrem, de quo ita scribit: « Episcopatum nec voluit, nec postulavit, etc.; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custodite verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet. »

Idem censuere et suasere Philosophi. Ovioius, lib. III *De Trist.*:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Horatius lib. II *Carm.*, ode 10:

Sæpius ventis agitur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Rursum Ovidius:

Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias et tibi junge pares.

Boetius, lib. II *De Consol.*, metro 4:

Humili domum memento
Certis figere saxo.

Quamvis tonet ruinis

Miscens æquora ventus,

Tu conditus quieti

Felix robore valli,

Duces serenus ævum,

Ridens ætheris iras.

Denique symbolum est Pythagoræ: « Fabis abstine, hoc est, reipublicæ administrationem evita, olim enim magistratus per suffragia fabis lata creabantur, » inquit Plutarchus lib. de *Liberis educ.*

Hanc gnomen festivo simiæ et vulpis apologo, oculis quasi spectandam subjicit Cyrillus, lib. II *Apologorum moralium*, cap. vi, cui titulus: *Contra superbos qui volunt æquiparari Deo.* « Simia, inquit, videns agilem nautam in malum velociter ascendentem, cum eum imitari nitere, corvus, id animadvertens, dixit ei: Sta in loco tuo, carissima, ne in regionem extraneam elevata, gravi ruina corporis depereas. At illa verbis ejus spreto ascendens, statim profunditatis altæ conuitu, debilis cerebri imaginatione confusa, in præceps ruebat, et cervice fracta nunquam de cætero vultum potuit elevare. Denique cum regem in solio sedentem conspexisset, cepit idem ipsa cupere, et eo absente quasi princeps alter in throno consedit. Quo viso vulpecula venit ad solium, et salutato sophistico rege, tanquam ministra provida ironice flagitavit mandatum. Cui simia dixit: Hoc tantum præcipio, ut læta gloriam meam cernas. At illa: Ego autem consulo tibi, ut hinc quam citissime descendas. Quod cum negligeret vanæ similitudinis sitibunda, statim inde dejecta est caninis dentibus laceranda. Tunc ad se reversa doloribus: Væ mihi, inquit, quia sprevi consilia sapientum! Nesciebam quod, ubi non est consilium, desit salus. Quæ cum audisset vulpes, appropinquavit, et dixit: Amodo quippe te video vexatione sensui restitutam. » Deinde eandem alia eaque clara ratione perurget, qua illi suam fœditatem et stultitiam demonstrat: « Verum cur, cæteris animalibus Adæ natura subjectis, tu sola commune jugum refugiens, eidem æquiparari conaris? At illa respondit: Movet me ad hoc innata cupido; nonne cunctis brutis humano corpori sum plasmata conformior? Tunc vulpes arguens inquit: Quanquam certe secundum figuram plus omnibus homini sis conformis, tamen quia hæc in te similitudo pervertitur, hinc tua forma difformior invenitur. Quid enim simo naso turpius? aut braccia digitali deformius? »

5. NON TE JUSTIFICES (id est, velut justum defendas et ostentes, ut omnia tua facta apud Deum excusare velis) ANTE DEUM, QUONIAM AGNITOR CORDIS IPSE EST, ET FENNS REGEM NOLI VELLE VIDERI SAPIENS, — Syrus: *Ne justifies animam tuam coram Deo. et coram rege ne sis stultus*, quia superbi sunt stulti, et superbia, qua vis videri sapiens coram rege, est stultitia. Græca æque ac Syrus non habent: *quoniam agnitor cordis ipse est*; sed, *ne te coram Domino pro justo vendites, quoniam ipse permovit cor uniuscujusque; nec apud regem ostentes sapientiam. Dat causam cur a Deo non sit petendus principatus, nec a rege cathedra honoris: quia, scilicet, si a Deo petas principatum, debe-*

eoram eo agnoscere et commendare te quasi justum. Princeps enim, uti major est subditis, ita iis debet esse melior et justior. Unde de Saule rege dicitur: « Non erat vir de filiis Israel melior illo, » I *Reg.* ix, 2. At justum se ostentare coram Deo, arrogans est et stultum. Deus enim, qui novit occulta cordium, scit neminem ita esse justum, quin quemlibet de peccato vel præsentis, vel præterito arguere possit, uti docet S. Joannes epist. I, cap. i, 10: « Si dixerimus, inquit, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus in nobis non est. » Unde Job, modeste licet vereque defendens innocentiam suam, a Deo redargutus, audivit cap. xxxviii, 2: « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos, et interrogabo te, et responde mihi. » Quocirca Job culpam agnoscens et deprecans cap. xlii, 3: « Insipienter, ait, locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. » Unde Eliphaz ad Job cap. xv, 15: « Ecce, inquit, inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cæli non sunt mundi in conspectu ejus; quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem! »

Insuper reges nulli dant cathedram honoris, nisi sapienti. Si ergo tuam sapientiam regi vendites et ostentes, ut cathedram assequaris, rex per se et suos consiliarios proponendo tibi difficillimas quæstiones, poterit insentiam tuam proderere, et aliis ridendam proponere. Rursum esto sit sapiens, tamen vitiosum et ambitiosum est, quod velis videri sapiens; et licet hoc tuum ambitionis ulcus tegas et dissimules, rex tamen et avlici talibus assueti sagaciter illud odorantur, explodunt et rident, quasi stultum, ut verit Syrus.

Hinc collige hæc axiomata: Qui eligitur in principem, justus sit coram Domino. Et qui cathedram vult obtinere a rege, sapiens sit oportet: alioqui et peccabit, et se infamabit, et multis periculis exponet. Cum enim stultus promovetur ad altiorem gradum, magis stultitiam suam, quæ prius erat incognita, per stultos actus demonstrat. « Sicut simia quanto sursum ascendit, tanto turpitudinem suam plus ostendit, » ait Lyranus.

Huc facit apologus pavonis et monedulæ apud Faernum: « Cum haberent comitia volucres regi creando, petiit regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui cum annuum suffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, si forte lis factus, et aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliivæ poterit afferre? » Affabulatio: « In deligendo regu magis spectanda sunt animi bona, quam corporis. »

Igitur causa *prima*, cur coram rege non debeas velle videri sapiens, est dedecus ambitionis et fastus, quod omnes, sed maxime reges, abomi-

nantur. Sicut enim, teste Aristotele lib. IX *Histor. anim.* cap. xlii, et Plinio lib. X, cap. xxi, leones oderunt ignem et fumum, sic et reges oderunt ostentationem et jactantiam: sciunt enim hanc ingentem esse vanitatem et mendacium. Nam, sicut ligna, quæ multum fumi dant, parum caloris et ignis exhibent, eo quod materia vertenda in ignem abeat in fumum: sic fere, qui magna jactant, minimum possunt: « Sapientes » enim « abscondunt sapientiam, » *Proverb.* x, 14.

Secunda, quod reges virum sapientem, præsertim exterum, timeant ne regnum prodat, turbet, evertat. Sic Saul persecutus est Davidem, ob cæsum Goliath, cum ei acclamaretur: « Percussit Saul mille, et David decem millia; timebat enim ne regnum sibi adimeret. Et proceres Achis regis Davidem a Saule profugum prodicionis insimularunt: unde David stultum se simulans, periculum capitis evasit, I *Regum*, xxi, 11.

Tertia, quod reges magnanimi videri velint omnibus sapientiores, fortiores, excellentiores, sibi que omnia velint attribui: quare sibi suoque honori et gloriæ decedere putant, si quem se sapienterem vel præstanterem videant vel audiant. Ita Philippus Macedo, inquit Demosthenes, « omnia præclara facinora sua esse videri volebat; et magis indignabatur ducibus ac præfectis, qui prospere et laudabiliter aliquid gesserant, quam iis qui infeliciter et ignave. » Patrem Philippum secutus filius Alexander « vinci quidem hostes volebat, sed Antipatrum vicisse indignabatur: suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ, » ait Curtius, lib. VI.

Memorable est, quod scribit Xenophon lib. IV *Cyropædiæ*, de Gobria eunte venatum cum rege Assyriorum: « Urso, inquit, ut est oblata, cum utriusque illam persequerentur, misso rex jaculo ictu frustratus est; at Gobrias spiculum vibrans ursam prosternit. Quam rem ægre molesteque rex tulit, invidiamque clam recondit. Sed et objectus est leo, quem ibidem a rege irrito conatu insecutum, idem Gobrias confecit. Hic rex secum mussitans, etc., arrepta a ministro lancea, Gobriæ pectus transfigit, atque ita adolescentem, cujus strenuitatem ægris tulerat oculis, vita spoliavit. » Similia hoc ævo vidimus exempla. Qui ergo cum regibus agit, cum eis modeste et reverenter agat, eis omnia cedat, sapientiam et dotes non ostendet, sed potius tegat et abscondat: ita vitam et gratiam regis retinebit.

Porro hæc sententia maxime locum habet in ostentatione sapientiæ gubernandi. Si quis enim eam reges docere velit, aut eorum regendi modum carpere et corrigere, utique vapulabit. Peccant in hac re viri etiam sapientes, qui regum acta vellicant, culpant, eis que imprudentiæ notam inurunt, cum non sciant eorum secreta, omnesque rei circumstantias; quas si nossent, ea non improbarent, imo approbarent. Memini Alexandrum Farnesium, inclytum Parmæ principem,

cum Belgium gubernaret, monitum a quibusdam viris valde sapientibus, ut arcem quamdam Belgio valde noxiam occuparet; modumque occupandi sugerebant. Ille illico argumentis ad oculum evidentibus id impossibile esse demonstravit, eosque ita convicit, ut coram ipso pueri viderentur; nimirum: Aliud, inquiebat ipse, est peritum esse librum, aliud armorum. » Excipe, nisi reges cupiant doceri, aut cognoscere sapientiam alicujus, ut sciant an idoneus sit, quem in consiliarium, Episcopum, gubernatorem deligant; tunc enim sapientia promenda est, ut prompserunt septuaginta duo Interpretes Sanctæ Scripturæ rogati a Ptolemæo demodo recte gubernandi, teste Aristæa.

6. NOLI QUERERE FIERI JUDEX, NISI VALEAS VIRTUTE IRRUMPERE (id est, perrumpere, perfringere, dissipare: nam Græce est, ἐξέρπει, id est tollere, profligare, exstirpare) INIQUITATES. — S. Augustinus in *Speculo* legit: « Noli querere fieri judex, si non vales virtute irrumpere iniquitates. » Magne enim est sæpe vis iniquitatis, quæ majore vi iudicii et æquitatis profliganda est. Græca Romana: *Noli querere fieri judex, ne forte non possis auferre iniquitates.* Et sic legit S. Hieronymus, in cap. III *Isaiæ*, explicans vers. 6: « Princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit: Non sum medicus, nolite constituere me principem populi. » Syrus: *Noli querere fieri judex, nisi habeas vim ad destruendam iniquitatem;* Tigurina: *Judex evadere ne contendas, ne inique factis par esse non possis, scilicet, vel in aliis puniendis, vel in te admissis sustinendis, ait Vatablus.* Jam Rabanus sic explicat, q. d. Si vis fieri judex, primo in te ipso confringe omnes iniquitates: « Quia, inquit, qui gravatur pondere propriarum culparum, non debet velle fieri judex alienarum. » Verum alii passim accipiunt hæc de culpis alienis, non propriis. In iudice enim requiritur non tantum sapientia et justitia, sed et virtus, id est, fortitudo et potentia, tum interna, tum externa, qualis est favor civium et amicorum potentum, ad perrumpendas et confringendas quaslibet etiam potentum et principum iniquitates, ut urbem et provinciam sceleribus expurget. Hoc enim est præcipuum munus iudicis et principis, qui est iudicium judex. Sane populi iniquitates velut catenæ iudicem circumdant et vincunt; virtute ergo magna indiget ad eas dirumpendas. Hoc enim bonum est, tum reipublicæ, tum privati inique agentis. Nam, ut ait Boetius, lib. IV *de Consolat.*: « Mali puniti feliciores sunt quam impuniti, » quia pœna eorum ingens est bonum, tum ratione justitiæ, quam læsam sarcit; tum quia scandalum ab eis datum tollit, ac præservat a futuro.

Præclare Beda in *Sententiis*: « Tantum, ait, valent leges, quantum volunt (imo volent) reges. Cum dolo abscondenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. » Idem sancit S. Gregorius Nazian-

zenus in *Sententiis*: « Quisquis, inquit, leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle, omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. » Hujus rei symbolo Samuel in convivio ex victima armum Sauli, quasi futuro regi et iudici populi servavit, 1. *Regum* IX, 24; Sauli, inquam, qui ab armo et sursum cæcos omnes statura superabat. Eligitur enim Saul in regem, qui armo et humero præstat nempe, virtute ac robore animi, ad perrumpendas iniquitates; armus enim, sive humerus, symbolum est roboris et fortitudinis, ideoque tam regi quam sacerdoti, *Exodi* XXIX, vers. 27, de industria reservatus, nempe, ad significandam virtutem Regum ac Prælatorum ad munus suum strenue obeundum, et onus populi sustinendum; nam, ut ait Nazianzenus in *Distichis*: « Ut foliorum strepitus lepores exterrit, ita rerum umbræ timidos et ignavos. » Unde S. Ambrosius, lib. IV, epist. 29 *ad Florianum*: « Cave honores, inquit, quos sine culpa tenere non potes. » Quin et Seneca, libro *De Tranquill.* cap. IV: « Quorumdam, inquit, parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant. His utilior negotio quies est. » Idem in *Sententiis*: « Bonis loquet, quisquis pepercit malis. Bono justitiæ proxima est severitas. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, multorum metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent. » Et Plato, lib. II *De Legibus*: « Princeps, ait, ac magistratus quilibet debet esse prudens et fortis; prudens, ne ex imperiti vulgi iudicio pendeat; fortis, ut quæ salutaria sunt constanter exsequatur. » Idem, libro VI: « Judex, ait, Dei personam quodam modo repræsentat. » Dei ergo æquitatem et fortitudinem imitetur.

Denique divine Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 220: « Imperiorum, ait, robur ac firmitas, Dei amicitia est. Ex quo sequitur eum, qui robuste imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, ait Scriptura, nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quocirca si Dei amicus esse studes, fac robuste præsis, hoc est, nec muneribus, nec amicitia, verum dignitate ac merito jus præbens. »

Hac de re S. Bernardus monens Eugenium Pontificem, lib. III *De Considerat.* cap. V: « Inferiorum, ait, culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores. » Et inferiorum: « Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutritrix. » Et lib. IV, cap. VI: « Alius alia dispenset, de disciplina tu provide; illud tibi credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super hujusmodi, tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. » Et cap. VI, ait, « Pontificem esse debere virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, Deum Pharaonis. » Additque: « Ubi malitiæ juncta potentia est, d

quid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat; timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se paveat. »

NE FORTE EXTIMESCAS FACIEM POTENTIS, ET PONAS SCANDALUM IN ÆQUITATE TUA. — Ita Romana et Græca. Male ergo Rabanus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Jansenius pro *in æquitate*, legunt *in agilitate*, quod Lyranus sic exponit, q. d. Ne alios offendas per tuam agilitatem, id est, levitatem et inconstantiam. Jansenius vero, q. d. « Ne ponas scandalum, » id est obstaculum in agilitate, id est dexteritate tua, ut, scilicet, præ metu non audeas uti solita tua dexteritate et promptitudine ad defendendum innocentes oppressos: *agilem* enim actio facit, *strenuum* motus, *fortem* animus, *robustum* corpus, ait Cornelius Fronto. Hoc sensu S. Augustinus in *Speculo*, legit *in agilitate*; perperam Abulensis in cap. XX *Judic.*, Quest. XXVI, legit *in malignitate tua*; Syrus: *Ne forte timeas a conspectu divitis, et facias maculam in timore tuo*; Tigurina: *Ne forte faciem potentis reformides, et integritati tuæ ponas offendiculum*; alii: *Et ponas scandalum in recto itinere tuo*, quo, scilicet, recta per viam justitiæ incedebas. Græcum enim ἐπιπέτασμα idem est quod *in rectitudine, in justitia, in æquitate*. Sensus ergo est, q. d. Ne forte reveraris (hoc enim est græcum ἐπιδεικνύς) et verearis faciem potentis, ac per hanc reverentiam et metum ponas tibi ipsi scandalum, id est, occasionem labendi et ruendi in æquitate tua, vel in recto itinere tuo, ut, scilicet, in recto justitiæ itinere, quo solebas incedere, per metum corruas, et a rectitudine ac justitia deflectas, et rectam justamque sententiam proferre vel exsequi non audeas, sed potius in gratiam potentum pauperes condemes, vel a potentibus opprimi permittas: hoc enim tibi scandalum erit et ruina, uti in culpam injustitiæ, ita et in pœnam ac vindictam, sive a lege, sive a Deo illi decretam. Exemplum est in Achab rege, qui, quia impio Benadad, quem bello ceperat, pepercit, audiit a Deo: « Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius, » III *Reg.* XX, 42. Sic et Saul parcens impio Agag, regi Amalec, nimiam hanc clementiam morte luit, I *Regum* XV.

Quocirca sapienter Totila, rex Gothorum, rogatus ut euidam stuprum virgini illatum condonaret, respondit: « Ejusdem ingenii est delicto se obstringere, et delictorum supplicia impedire, omnino autem, aut hunc pœnam dare, aut Gothorum rempublicam interire necesse est. » Ita Sigonius *De Occident. Imp.* Sicut enim si fundamenta non æque collocentur, domus illis incumbens hiæ rumpitur et ruit: sic et si iudicia non sint æqua, ruit respubli-

Nota: Scandalum græce a *σκάδα*, id est, deflecto, inclino, claudico, dicitur paxillus qui in muscipulis erigitur, ut obicem sustineat, quem mus dum ingreditur offendens, in se evertit subita ruina; inde *σκανδαλός* vocatur obstaculum, offendiculum, obex, et quidquid prolapsionis et ruinæ causam affert, quale est hic reverentia et metus. Ita Pollux, et S. Hieronymus *Contra Pelagium*: « Seolon, inquit, et scandalum apud Græcos ex offensione ac ruina nomen acceperunt. » Sapientis ergo est seipsum suasque passiones et infirmitates nosse, ac cavere ne iis det occasionem labendi in peccatum, v. g. Qui nimis reveretur et metuit aliquam personam, ac expertus est se ex hoc metu lapsum esse in peccatum aliquod, caveat ne cum tali persona agat, quæ hunc metum ei injicere solet: qui nimio amore alicujus rei vel personæ se agi sentit, fugiat ejus præsentiam, ne ejus præsentis specie illectus in eam rapiatur et corruat: qui novit se propensum in vinum et gulam, fugiat symposia et convivas. Hæc est prudentia cautorum et sanctorum, per quam provide pericula sibi obventura prospicientes ea præcavent, seque contra ea præmuniunt. Idem applices cuilibet statui, officio et instituto.

Hinc secundo, aliqui scandalum hic non passivum jam dictum, sed activum accipiunt, q. d. Ne ex timore favendo potenti æquitas tua fiat iniquitas, itaque scandalum det aliis: omnes enim scandalizantur, dum audiunt iudicem favere potenti nocenti, ideoque illi causam adjudicare, et condemnare pauperem innocentem. Sicut enim in eclipsi macula solis deficientis in omnibus notatur: sic et macula defectusque in-justi iudicis, qui est quasi sol justitiæ, ab omnibus advertitur et damnatur. Hic ergo simili est heliotropio, quod ad solem sese obvertit, cum illoque rotatur et flectitur; et paleæ, quæ vento raptatur et volvitur; ac lunæ corniculatæ, quæ inæquali facie se videndam exhibet: nobis enim exhibet cornua, cœlitibus vero orbem plenum. Sic et iudex potenti plus æquo tribuit, impotenti minus æquo. Hic est respectus personarum damnatus jure divino et humano, quo plus respicitur potens quam pauper, et plus potentia quam innocentia et justitia; hoc est scandalum, quod alios ad dolorem, alios ad sceleris imitationem trahit. Nam, ut ait S. Chrysostomus homilia I *de verbis Apostol.*: « Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non est ingens damnum; oculis vero læsis, vel capite contrito totum corpus inutile redditur: sic et qui in alta quadam tanquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam et jacturam facit, non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est in idipsum respicientibus. » Hinc in scandalo Beelphegor Deus ait ad Moysen, *Numer.* XXV, 4: « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in pati-